



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

24. De Ecdicij senatoris liberalitate in pauperes, et diuina in eum, omnemq[ue] eius posteritatem remuneratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

secundum Deum illam diligat, & foueat. Qui dixit illi: Rectè dixisti, Perge ergo in Ecclesiam, & ora intentissimè, atque illic reside, & qui primus ingressus fuerit, hic illi à Domino missus est sponsus. Fecit igitur, vt vir iusserat eius. Cumque orasset, & sederet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa seruum suum continuò accersuit me, coepitque interrogare dicens, Vnde es? Ego autem dixi illi: Ex hac ciuitate sum talis filius. Dixit autem mihi: illius eleemosynarij? Et dixit ita, illius sum filius. Tunc ait mihi: Habes vxorem? Et dixi: non, narrauique illi, quæ mihi dixerat pater meus, & quæ ego responderam ipsi: illa vero glorificans dominum, ait: Ecce bonus curator tuus misit tibi vxorem, & pecunias, vt utaris vtrisque cum timore Dei. Deditque mihi filiam suam, & pecunias. Ego autem oro, vt patris mei viam vsque in finem teneam.

Gregorius Turonen. li. 2. cap. 24. historia Frācorum. De Ecdicij senatoris liberalitate in pauperes et diuina in eum omnemq; eius posteritatem remuneratione.

CAP. XXIV.

Tempore Sidonij Episcopi magna Burgundiam fames oppressit. Cumque populi per diuersas regiones dispergerentur, nec esset vllus qui pauperibus alimoniam largiretur, Ecdicius quidam ex senatoribus huius propinquus, magnam tunc rem in DEO

confusus fecisse perhibetur. Nam inualefcente fame, misit pueros suos cum equis & plaustris, per vicinas sibi ciuitates, vt eos qui hac inopia vexabantur, sibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes quotquot inuenire potuerunt, adduxere ad domos eius. Ibi que eos per omne tempus sterilitatis pascens, ab interitu famis exemit. Fuereq; vt multi aiunt, amplius quàm quatuor millia promiscui sexus. Adueniente autem vbertate, ordinata iterum euectione, vnumquemque in locum suum restituit. Post quorum discessum, vox ad eum è coelis lapsa peruenit, dicens: Eedici, quia fecisti rem hanc, tibi & semini tuo panis non deerit in sempiternum, eo quod obederis verbis meis, & famem meam refectione pauperum satiaueris. Quem Eedicium miræ velocitatis fuisse, multi commemorant. Nam quadam vice multitudinem Gothorum cum decem viris fugasse perscribitur. Sed & sanctus Patiens Lugdunensis Episcopus, simile huic in ipsa fame populis præstitisse perhibetur beneficium. Extat enim hodieq; apud nos beati Sidonij epistola, in qua eum declamatoriè collaudauit.

Ioannes Bodinus libr. 3. cap. 1. De Magorum demonomania, hominem in pauperes liberalem non posse à magicis sortibus offendi.

C A P. X X V.

Recen-